

Lambertus de Monte,
***Copulata super tres libros Aristotelis De Anima iuxta doctrinam Thomae de
Aquino,***

[Cologne: Quentell], ca. 1492.

[Cologne: Welker], 1486.

Transcription by Annemieke Verboon

Queritur utrum necesse sit ponere plures sensus interiores vel utrum sit tantum unus sensus interior?¹

Dicendum quod non sufficit unus sensus interioris sed requiritur quatuor sensus interiores. Cuius ratio est quia omnis operatio est ab aliqua potentia, cum nihil circa principium agat per suam essentiam quicumque, ergo sunt plures operationes ad idem principium operationem sive ad eandem potentiam non reducibiles. Tunc oportet ponere plures potentias sive plura principia illarum operationum, sed in animalibus perfectis inveniuntur plures operationes ad idem principium non reducibiles.

Primo enim invenitur operatio in animali quae cognoscit sensibilia sensata per sensus exteriores in absentia sensibilibus, ergo oportet ponere una potentia quae apprehendit sensibile absens. A sensibus autem exterioribus solum apprehenditur sensibile presens, ergo oportet ponere alium sensum scilicet sensum communem, qui apprehendit sensibilia absentia.

Et quia in materialibus eadem potentia non est bene receptiva species et retentiva quia humida est bene receptiva, et sicca est bene retentiva, ergo oportet preter sensum apprehensivum qui est receptivus specierum ponere potentiam reservativam specierum et talis est virtus ymaginativa que reservat has species per quas cognoscit sensus communis.

Et quia in animalibus perfectis invenitur una alia operatio, scilicet, elicere intentiones non sensatas ex rebus sensatas, quae operatio non potest reduci ad sensus nunc dictos, ergo oportet ad huc ponere sensum alteriorem. Prima pars assumpti patet exemplariter quia ovis ex specie lupi cognita et visa elicit hoc quod tale animal est inimicus sue nature que inimicitia non potuit esse sensata per sensus exteriores. Patet quia non est objectum alicuius sensus exterioris et quia nihil percipitur per communem sensuum nisi sensibile sensatum per se vel communiter propter immediatam coniunctionem sensuum exteriorum ad sensum communem. Ideo non potest talis inimicitia esse cognita per sensum communem. Ideo oportet ponere sensum superiorem et ille sensus in brutis vocatur virtus estimativa et in hominibus virtus cogitativa que est unius speciei in homine et in brutis. Sed habet diversa nomina quia homo habet alteriorem operationem per illam potentiam quam bruta propter coniunctionem intellectus, quia oportet isti potentie apprehensive coniungere unam potentiam reservativam specierum, ideo quarta potentia adiungitur, scilicet memoria que conservat illas ymagines per quas virtus cogitativa cognoscit.

Queritur quid sit species et quid intentio?²

Dicendum quod species sensibilis de qua hic loquimur est similitudo rei sensate relicta in sensibus exterioribus sic enim prius dictum est quod res visibilis exterioribus facit suam similitudinem in visu, que similitudo ulterius facit novam numeralem similitudinem in sensu communi et ab illa similitudine diffunditur alia similitudo ad virtutem ymaginativam. Illa ergo

¹Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Quentell], ca. 1492. book II, li vb -- lii ra [I4v-I5r]; Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Welker], 1486. book II, fol. lvii ra [H4r].

²Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Quentell], ca. 1492. book II, lii rb – lii va [I5r-I5v]; Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Welker], 1486. book II, fol. lvii vab [H4v].

species sic existens in sensibus interioribus vocatur specie sensata, quia est species rei sensate et per sensum presentate. Elicere ergo speciem non sensatam ex speciebus sensatis est elicere aliquod intus tentum in speciebus, quod propter spiritualitatem et efficaciam sensus superioris cognoscitur a sensu superiori et non ab inferiori. Exempli gratia: illa species que fuit prius reservata in virtute ymaginativa diffundit aliam numeralem (similitudinem) ad virtutem cogitativam et ibi existens representat aliquod altius quam prius representabat in sensu communi, ut ovis habens speciem lupi in sensu communi per talem speciem representatur figura lupi et color, sed illa species existens in virtute estimativa ovis representat inimicitiam et sic inimicita dicitur intentio, quia elicetur ex specie sensata per sensum superiorem. Ex quibus patet etiam intelligi ulteria operatio virtutis cogitative que, scilicet, est componere speciem cum intentione, aut intentionem cum specie; quia componere intentionem cum specie est componere aliquid intus tentum in specie non representatum per speciem, cum illo quod est representatum per speciem. Sicut: per speciem lupi representatur figura et magnitudo lupi, si ergo illa magnitudo componatur cum inimicitia, que inimicitia est intentio, et figura dicitur species, quia est aliquid representatum per speciem, et tunc componitur intentio cum specie.

Arguitur virtus estimativa non cognoscit substantiam particularem ergo tertia operatio non est bene posita. Dicendum quod substantia particularis dupliciter cognoscitur. Uno modo absolute et secundum se et secundum suam naturam particularem et sic cognoscitur solum per virtutem cogitativam in hominibus. Alio modo accipitur substantia particularis in ordine ad actionem vel passionem et sic etiam brutus cognoscit substantiam particularem per virtutem estimativam, sic enim ovis cognoscit lupum non secundum se et absolute, sed secundum quod conatur inferre incommodum ovi et ideo etiam quarta actio convenit virtuti cogitative in homine et non virtuti estimative in brutis. Et si arguitur, virtus estimativa in brutis, et cogitativa in hominibus sunt unius specie, ergo habebunt eandem operationem, dicendum quod non est inconveniens aliquam formam eiusdem speciei habere altiolem operationem secundum quod coniungitur diversis principiis agentibus: sicut, calor in igne, et calor in vivente, sunt unius speciei, et tamen calor in igne habet incinerare sed calor in vivente habet carnificare. Per hoc dicitur ad propositum quod virtus estimative in hominine quod vocatur cogitativa coniungitur ipsi intellectui et ex tali coniunctione habet altiolem operationem quam si secundum se acciperetur.

Arguitur: nihil agit ultra suam speciem, ergo species sensibilis que est accidens, non potest representare substantiam. Dicendum quod representare proprie non significat agere, sed potius est disponere ad agere, scilicet, ad cognitionem. Unde quamvis color non agat in substantiam producendo ipsam, potest tamen substantiam representare et hoc ideo, quia species coloris accipitur in sensum etiam cum figura rei colorate, sed figura est propria conditio substantie figurate, et potest statim substantiam representare, ergo etiam talis species potest substantiam representare. Similite est de ymagine regis que imago si est cum figura potest representare substantiam regis, scilicet, si ymago esset ibi solum ex parte coloris, tunc non representaret substantiam regis.

Queritur utrum fantasia sit una potentia ab aliis distincta?³

Dicendum quod non.

Arguitur quod sic quia Arestoteles postea determinat de fantasia ergo debet poni specialis sensus. Dicendum quod Arestoteles ponit fantasiam ut est actus sensuum interiorum, quia dicit quod est motus factus a sensu secundum actum.

Arguitur: est una operatio in animalibus que non convenit alicui predictorum sensuum scilicet componere speciem cum specie et intentionem cum specie ergo erit una nova potentia scilicet fantasia.

³ Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Quentell], ca. 1492. book II, fol. liii ra [I6r]; Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Welker], 1486. book II, fol. lviii va [H5v].

Dicendum quod illa operatio reducitur ad virtutem cogitativam. Et hoc sic patet quia tales operationes non fiunt in omnibus animalibus, sed solum in hominibus. Si enim fierent in omnibus aliis animalibus, cum fantasia fit principium motus, sequeretur quod animalia indeterminate moverentur propter compositionem fantasticam quae haberent de rebus⁴. Non enim possunt hoc iudicare esse fantasma sicut contingit in hominibus et ideo secundum talem compositam⁵ fantasiam moverentur et per consequens indeterminate fiunt, ergo iste operationes per virtutem cogitativam inquantum cogitativa quod dicitur notanter quia sic in ea est redundantia rationis. Et propter talem redundantiam habet altiolem operationem quam estimativa in brutis.

Queritur utrum intellectus posset velari per infirmitatem passionem aut somnum?⁶

Dicendum quod sic quia intellectum velari est ipsum impediri in suo iudicio. Sicut homo dicitur velari oculis quando impeditur iudicium visus de visibilibus, quia ergo contingit intellectum impediri ex passione infirmitate vel somno. Ideo intellectus dicitur ex eis velari.

Arguitur: materiale non potest agere in immateriale, sed egritudo sive passio aliqua respicit aliquod corporale, ergo non potest impedire intellectum qui est immaterialis.

Dicendum quod aliquid dicitur impediri dupliciter. Unomodo per se quia, scilicet, impedimentum intrinsece tangit illam rem que impeditur et sic intellectus non potest impediri per aliquod materiale ut probat argumentum. Aliomodo aliquid impeditur per accidens, quia, scilicet, fit impedimentum in illo quod alteri coniungitur sine quo eius operatio esse non potest. Et sic impeditur intellectus ex impedimento sensus, quia necesse est intellectum operari per virtutes sensitivas.⁷ Sensus autem impediuntur per se ex passione infirmitate et somno. Et hoc est quod solet dici quod amor et odium pervertunt iudicium, quia tales passiones trahunt ad se iudicium rationis.

⁴ propter compositionem fantasticam quam haberent de rebus *om. ed. Welker.*

⁵ talem compositam *ed. Q: omnem ed. Welker.*

⁶ Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Quentell], ca. 1492. book II, fol. lvi va-b [Kiii-vab]; Lambertus de Monte, *Copulata DA*, [Cologne: Welker], 1486. book II, fol. lxii va [Jirv].

⁷ pro statu huius vite, sicut patebit tertio huius add. Q.